



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

B. Juvenis Ægyptius Anonymus. 11. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Zenoni regni jaēturam longè antè vaticinatus est. Contra Basiliscum verò Ecclesiæ hostem ut pugnaret, è columnâ descendit, & impendentes Numinis iras s̄ævienti objecit non vanus augur. Jam & in dæmonas malos regnum tenuit, eque corporibus humanis, cùm libuit, proscriptis, fuitq; cùm mulier, quæ Divi innocentiam infami rume re asperserat, à vindice genio obsessa, non potuit obsidione nisi ab ipso DANIELE liberari. Ceterū cum cælo uti propinquum, ita frequens illi fuit commercium, sub ultimos præsertim tres vitæ dies, quibus Cælites plurimi ad ægrum viserunt. Horum nomina prodidit hominis item incola dæmon, uti & horam, quâ moriturus DANIEL, & ipse fugādus erat. Obiit verò anno cccc. LXXXIX. In corpore, quod diu tergmina crux illustravit, tumulando reges laborarunt. Animus fecit, quod in vitâ jam fecerat; cælum habitavit.  
*Ex Metaphr.*

*Nemo sibi vivat, sed ei, qui pro se mortuus est. Cui enim justius vivam, quam ei, qui si non moreretur, ego non viverem? cui commodiūs, quam promittenti vitam eternam? cui magis ex necessitate, quam flamas perpetuas minitant?* S.Bern.ep.143.

## B. JUVENIS ÆGYPTIUS ANONYMUS.

II. Decembris.

**V**T exciderit antiquitati nomen adolescētis hujus, aliud certè sibi & immortale apud posteros peperit. Et videtur etiam hic minus facturus fuisse, si minus peccasset. Etenim Amirani Saracenorum regis favorem ut aucuparetur, Christum cùm Mahomete mutavit, & calcatâ cruce, more barbaro impioque sacramentum aci-

naci

II. Dec. VITÆ SANCTORVM. 605  
naci dixit. Ingemuere ad impium facinus parentes pii, & pœnitiebat hostem Deo & cruci genuisse, nec jam heredem volebant, qui ex aſſe optimam partem avitam pietatem nolle. Quod tamen unū poterant, precibus pro perituro apud Deum agebant, ſcelusque non ſuum ſuis lacrimis plectebant. Et profectò plus lacrimis parentum filius, quām laeti olim debebat. Instillarunt enim hæ denuò bonam mentem. Rediit prodigus, & pulchrum parentum consilium ſecutus, signa, quæ turpiter abjecerat, crucem inquam, manu venerabundâ ſuſtulit, & intrepidus palam iterum ad Amiranum tulit, lacrimis interim & gemitibus perorantibus, quos ſæpius intercalaris illa Eccleſiæ vox *Kyrie eleison* interpellabat. Illum ergo cùm neque fames aut verbera, neque carcer aut vincula avellere à cruce poſſent, naviculæ Amiranus imposuit capite minuendum. Ergo animus cæli, caput abſcissum urbis portum petiit, redemptumque à Christianis centum aureis, & argento inclusum diu oleum sudare viſum eſt, ut vel ex hoc Christi Athletam agnosceres. Ex Menais.

*Crucem Domini ſemper in mente, in ore, ut ſigno, tenete. Crux Domini armatura uestra contra satanam, galea cuſtodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem ſibi propinquare non ſinens.* Martial. epift. ad Burdeg.

S. SPIRIDION EP. 12. Decembris.

SPIRIDION ex opilione Cypri Episcopus, non vitę conditionem ſed gregem mutavit, omnes paſcere folicitus, pauperes præſertim. Itaque ferpentem mutaffe in aurum fertur, quò egenti eſſet, unde frumentū coēmeret. Alio item tempore cùm

C c 3 avari